

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Appendix Tertia. De Ritv Conviviorvm Apvd Romanos. Ex Iusto Lipsio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

cilius Q. F. *Metellus Pius* Scipio, *L. Villius* L. F. *Pompt. Annalis*, *C. Septimius* T. F. *Quirina*, *C. Lucceius* C. F. *Pup. Hirrus*, *C. Scribonius* C. F. *Pop. Curio*, *L. Atteius* L. F. *An. Capito*, *M. Oppius* M. F. *Terentina*. Vbi *Pomptina*, *Quirina*, *Pupinia*, *Popilia*, *Aniensis*, *Terentina*, tribuum nomina sunt, sexto casu posita.



ADPENDIX TERTIA.
DE RITV CONVIVIORVM
APVD ROMANOS. Ex Iusto
Lipio a).

§. I.

Conuiuandi mos apud Romanos vt illustretur, tria sunt dicenda, *tempus*, *locus*, *modus*. Ad *tempus* pertinet, quoties sumserint cibum, & quando. Antiqui, si *FESTO* credimus, rer sumsisse cibum in die videntur: vnde *ientaculum*, siue prandiculum, cibus, qui mane; *prandium*, siue merenda, qui medio die; *cæna*, siue vesperna, qui sub vesperam capiebatur. Si *NONIO MARCELLO*, quater, qui merendam a prandio distinguit, & post meridiem collocat. Sed equidem nomina potius ista vsitata Romanis crediderim, præsertim comædiis palliatis, quam rem ipsam. Bis enim tantum sumsisse cibum videntur, prandio videlicet & cæna. Excipio pueros, & si qui erant dissoluti, luxus: quamquam & prandia ipsa modica erant, & semper solitaria, sine conuiuis. *SALLVSTIVS* ad *C. Cæsarem de republica ordinanda*, oratione, id est, asperis

ver.

a) *rom. III. operum*, p. 1476.

verbis, notat eos, quibus *bis die*, inquit, *ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere, mos erat.* Et SVETONIUS in *Vitellio, cap. LIII.* tamquam rem summæ luxuriæ obseruat, quod epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in *ientacula, prandia, & cœnas, comeffationesque.* Sed ne CELSVS *lib. I. cap. 3.* quidem prandium vt ordinarium agnoscit, & tenue id fuisse, indicat his verbis: *hieme, inquit, si quis prandet, vtilius est exiguum aliquid, & sicum sine carne siue potione sumere; æstate vero & potione & cibo corpus sepius eget.* Ideo prandere quoque commodum est. Cœna igitur præcipua conuiuii pars, cuius hora eadem fere, quæ moribus nostris merendæ, scilicet hora nona. CICERO *epist. vlt. lib. IV. ad familiares: accubueram, inquit, hora nona, quum ad te exemplum harum litterarum, cet.* MARTIALIS:

Imperat exstructos frangere nona thoros.

A qua hora cœnæ dictam putant Grammatici *annonam*, res edules ad commodatas ad horam nonam. Quamquam homines frugales sæpe expectabant occasum solis, contra homines voluptuarii horam nonam præcipiebant, vt illa apud IUVENALEM: *exsul ab octaua Marius bibit.* Quæ conuiuia festinata, ni fallor, antiqui *tempestiua* dixerunt, tamquam nimium tempori inita, & in virio ponebant, vt CICERO *pro Muræna, pro Archia, lib. IV. ad Atticum, & SENECA lib. II. de tranquillitate cap. XXVIII.* sicut in *tempestiua* illa, quæ protrahebantur in multam noctem, aut vsque ad diem, vel lucem. Hæc de tempore.

§. II.

Locus, in quò conuiuabant, triclinium dictus, sei-

O O 2

licet

licet a numero lectorum, qui circa mensam vulgo sternebantur, etiam *biclinium*, apud PLAVTVM est & ἐξοκλίσιον in ATHENÆO & MARTIALI legimus: & *testitudineum mensis quater ἐξοκλίσιον*, ingemuit citro non satis esse suo. Vbi tale ἐξοκλίσιον pro mensis ipsis positum videtur, vt triclinia apud PLINIVM lib. XXXIV. cap. 2. & 3. Pro triclinio posterior ætas cœpit vsurpare *sigma*, cuius forma videtur fuisse ἡμικύκλος, aut lunatæ testudinis, MARTIALIS:

Accipe lunata scriptum testudine sigma;
& alibi:

Septem sigma capit, sex sumus, adde lupum.
LAMPRIDIVS in *Heliogabalo*: *sigma de croco strauit, cum summos viros inuitasset ad prandium.* SIDONIVS:

Mos erat his dominis hibernum sigma locare.
Errat BRODÆVS lib. III. *miscellaneorum cap. 4.* qui mensam ipsam eo nomine dictam censet. Sed & locus, in quo cœnabant, *dieta* dictus est, a διατάρουσαι, id est, *viuo*, siue *versor*, vel, vt VARRO vult, *quod in ea per diem edatur.* SVETONIVS in *Claudio cap. X.* & iurisconsulti sæpe, vt lib. XLIII. *de legatis, libr. penult. de donationibus inter virum & uxorem:* PLINIVS in *epistolis:* LAMPRIDIVS *zetam*, vel *zeteculam* adpellant, pro *dieta*, more Græco scilicet, apud quos Dores ζ pro δι vsurpant, vt ζαβάρουσαι pro διατάρουσαι.

§. III.

Nec plura de loco. Transeo ad *modum*. Romani initio sedebant ad mensam. SERVIVS ad illud VIRGILII:

Perpetuis soliti patres considerare mensis;
maiores, inquit, nostri sedentes epulabantur, quem

mo-

modum habuerunt a Laconibus & Cretensibus, ut VARRO in libro de vita populi romani docet, & similia ISIDORVS lib. XX. cap. 2. qui idem apud Græcos antiquitus fuisse, ex variis HOMERI locis adparet, & ATHENÆO lib. VIII. cap. 13. Sed paulatim crescentibus deliciis exoleuit sessio, & in eius locum successit accubitus, non solum apud Græcos & Romanos, sed etiam Afros & barbaros, quod discimus ex LIVIO lib. XX. de Scipione & Asdrubale, cœnantibus apud Sypacem.

§. IV.

Porro *forma* accumbendi repræsentari sic potest. In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, magnitudine circiter quatuor pedum, raro amplior. Ex PLINIO lib. XIII. cap. 15. circa eam tres lecti, aulæis, purpura, aut alia veste stragula intecti, pro opibus cuiusque. In eos conuiuæ recumbebant, sed prius positis calceis, ne lectum conspurcarent, quos iterum fumebant abituri. Hinc illa apud PLINIVM in epistolis: *quam multi, quum lector aut comædus introductus est, calceos poscunt, ut non minori tædio cubant?* MARTIALIS:

Depositis soleis, adfertur protinus ingens

Inter lactucas, oxygarumque liber.

In vno autem lecto terni, aut quaterni iacebant.

HORATIVS:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si plures, sordidum id habebatur & plebeium. CICERO in Pisonem: *nihil apud hunc lautum, nihil elegans.* Græci quini in lectulis stipati. Ita fiebat, ut ex vna communi mensa raro plures, quam XI. vescerentur, vnde illa δωδεκάτεος cœna apud SVETONII

§. VI.

Et hæc quidem accumbendi ratio vulgata inter omnes fuit. Excipio pueros & seruos. Pueri enim ad fulcra lectorum sedentes, vescebantur. TACITVS de more Britannorum *lib. XIII. annalium*: SVETONIVS in Claudio *cap. XXXII.* & in Augusto *cap. LXIV.* Serui in subselliis iuxta lectum. PLAVTVS *Sticho*: potius in subselliis ciuium accipiemur, quam in lecto; & in Persa: scis tu, me esse imi subsellii virum? DONATVS in vita Terentii: iussus, inquit, Cæcilio recitare, ad cœnandum quum venisset, quod erat contempore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse, dicitur. Post paucos vero versus, inuitatus, vt adcumberet, cœnasse vna. SENECA *lib. II. de tranquillitate vitæ cap. 15.* Sed & feminæ antiquitus vetabantur adcumbere. VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. 1*: femine, inquit, cum viris cubantibus sedentes conuiuabant. Quæ consuetudo ex hominum conuictu ad deos penetrauit. ISIDORVS *lib. XX. cap. 1.* Qui tamen mos iam ante Ciceronis tempora exoleuit, vt adparet ex *lib. V. ad Atticum epist. 20.* ex OVIDIO, PROPERTIO & poetis. Postremo etiam viri in luctu aut militia abstinebant adcumbere. PLVTARCHVS in *Catone Uticensi* obseruat, illum post bellum ciuile numquam, nisi sedentem, cœnasse. Et SPARTIANVS in *Hadriano* auctor est, illum triclinia omnia abstulisse e castris. Etiam CÆSAR *lib. III. de bello ciuili* luxuriæ notam interpretatur, quod in castris Pompeii triclinia strata reperisset.

§. VII.

Hæc de adcubitu Romanorum. Addo corollarii loco, eundem adcumbendi morem in Iudæa fuisse

Christi temporibus. Adparet clare ex IOANNE cap. XIII. scribente, *recubuisse se in sinu Iesu*, & LUCÆ cap. VII. de muliere peccatrice, quæ stans a tergo lauit pedes Christi, & eiusdem cap. XXII, 18. *cœnaculum stratum* nominatur, quod de lectis capiendum. Docent & verba ipsa, quibus in re coniuiali perpetuo vtuntur euangelistæ, τὸ ἀνακειῖσθαι, καὶ τὸ ἀνακλίνειν.

ADPENDIX QUARTA.

DE NVPTIIS, SVSCEPTIONE,
EDVCATIONE LIBERORVM,
ATQVE ADOPTIONIBVS.

§. I.

QUAMVIS multi apud Romanos essent, qui vitam cœlibem omnium iucundissimam ac viro graui maxime dignam esse, existimarent; plurimi tamen rite cognouerunt, eam statui ciuili maxime noxiam esse, atque effecerunt, vt, singularibus hanc in rem sancitis legibus, haud spernenda iis proponerentur præmia, qui multos procrearent liberos, eo potissimum fine, vt orbitas plane ex Romanorum exterminaretur finibus, quemadmodum huius rei leges iulia & papia poppæa, ab HEINECCIO egregie illustratæ, insigne præbent documentum: conf. PHIL. LVDOV. HANNEKENIUM *de cura domestic. Roman. p. 91.* Inde honorificum existimabatur, maritum esse, & multis liberis augeri, matrimoniumque contrahere, vt ex CICERONE *de fin. lib. V. cap. 28. & lib. III. de leg. cap. 3.* satis patet. Ante ipsas nuptias *sponsalia* celebrabantur, quæ